

PETRVS SENNERVS CONSVL RAVENSPVRGENSIS.



Petrus apud Sueuos bonis & honestis parentibus natus est, in ciuitate amoenissima Imperij Rauenspurgo. Is apud suos in omni genere uirtutum educatus, in praeclarum patriæ ciuem euasit. Inerat enim ei uitæ integritas, rerum peritia, & singularis facundia. Itaque primò in senatum cooptatus, atque postea etiam communib[us] totius ciuitatis suffragijs consul electus & designatus est. Hanc functionem Petrus magna animi moderatio suscepit, et in primis ob pietatis in Deum & patriæ amorem Euangeliū Christi intellexit, promouit, & ut in ea repub. conseruaretur, præcipuus author fuit. Cum autem post bellum Germanicū noua religionis forma, quam

Interim dixerat, in Augustanis comitijs 1548 statibus Imperij proponeret, atque Petrus sua conscientia persuasus, in cognita religione pergeret, ipse cum suæ religionis senatoribus à Cæsareis legatis officio mouetur. Eam contumeliam Petrus æquo animo Christi nomine tulit, atque cœpta sententia perseuerans priuatus uiuere uoluit.